

Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, ³si minus, quam plurimos : purga urbem. Magno me metu liberabis, ⁴dum modo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari jam diutius non potes : ⁵non feram, non patiar, non sinam. ⁶Magna dis immortalibus habenda est atque huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis, gratia, ⁷quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam rei publicae pestem totiens jam effugimus. ⁸Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda rei publicae. Quam diu mihi, ⁸consuli designato, Catilina insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum, proximis comitiis consularibus, me consulem ¹⁰in campo et ¹¹competitores tuos interficere voluisti, ¹²compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato : denique, ¹³quotienscumque me petisti, per me tibi obstiti, ¹⁴quamquam videbam ¹⁵perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse conjunctam. 12. ¹Nunc jam aperte rem publicam universam petis : templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam ²denique totam ad exitium ac vastitatem vocas. ³Quare quoniam id, quod est primum et quod hujus imperii disciplinaeque majorum proprium est, facere nondum audeo, faciam id, quod est ⁴ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam si te interfici jussero, residebit in re publica ⁵reliqua conjuratorum manus : ⁶sin tu, quod te jam dudum hortor, exieris, ⁷exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et pernicio ⁸reipublicae. 13. Quid est, Catilina? num dubitas id ¹imperante me facere, quod jam tua sponte ²faciebas? Exire ex urbe jubet ³consul hostem. Interrogas me : ⁴num in exilium? non jubeo, sed, si ⁵me consulis, suadeo.